

nostri anno decimo, praesentibus et testibus domino Alberto Knut, domino Tamnone de Haldecke militibus, Henrico Knut de Teudicz, Volcmaro de Chochere, Tymone filio domini Alberti Knut et Alberto filio Karuli cum aliis pluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an einem von der Urkunde selbst zum Theil losgetrennten Pergamentstreifen.

No. 358. 1314. 8. März.

B. Witigo eignet der vom Domherrn Reinhard gestifteten Vicarie des Ap. Jacobus und des h. Georg mit Zustimmung des Capitels Zinsen zu Kaufbach.

In nomine domini amen. Nos Witigo dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus omnibus hanc paginam inspecturis salutem in domino Jhesu Christo. Ut nostra gesta temporibus perpetuae stabilitatis robur obtineant et posteritatis memoriam contingant, ipsa consuevimus litterarum testimonio perhennari. Cum igitur dominus Reynardus nostrae ecclesiae canonicus septem talenta Vribergensium denariorum annui census, quae dominus Nicolaus Cunichonis etiam nostrae ecclesiae canonicus et sui fratres, videlicet Theodericus, Petrus senior, Paulus et Petrus iunior in villa Kovfbach a nobis in feudum tenuerunt, iusto emptionis et venditionis titulo interveniente ab eisdem pro quinquaginta et sex marcis argenti et ponderis Vribergensis comparavit, et transitoria in aeterna volens commutare, humiliter nobis supplicavit et devote, ut praedicta septem talenta nostrae Misnensi ecclesiae ad unam vicariam in honorem beati Jacobi apostoli et Georgi martyris construendam appropriare dignaremur, praefatus vero dominus Nicolaus suique fratres praedicti antedicta bona sicut ipsi habuerant ad nostras manus libere resignarunt. Nos igitur piis ac rationabilibus precibus praedicti domini Reynardi inclinati praenarrata septem talenta annui census cum omni iure et utilitate, quae insunt vel esse poterunt in futurum, nostrae Misnensi ecclesiae ad unam vicariam in praefatorum sanctorum honorem construendam appropriavimus et appropriamus de consensu nostri capituli per praesentes et iusto proprietatis titulo eidem ecclesiae conferimus in his scriptis. In cuius rei testimonium hanc litteram nostri sigilli appensione fecimus communiri. Et nos Henricus praepositus, Henricus decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum praedictae appropriationi et donationi consensum dedimus per praesentes. In cuius rei evidentiam plenior hanc paginam sigillo nostri capituli fecimus roborari. Datum Misnae anno millesimo trecentesimo XIII^o. VIII. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 359. 1314.

Hermann von Maltitz bekennt mit seinen fünf Söhnen an den Cantor des Hochstifts Lutold von Gurwitz Zinsen zu Weisstropp verkauft zu haben.

Nos Hermannus de Malticz miles una cum filiis nostris Alberto, Vlrico, Hermanno, Johanne et Friderico recognoscimus tenore praesentium publice profitentes, quod domino Lutoldo de Gurwitz Misnensis ecclesiae cantori, nostro amico vendidi-